

Et ego Fr. N. a N. Compromissarius, nomine meo et sociorum meorum Compromissariorum, virtute compromissi limitati in nos facti, eligo et electum (electos) esse pronuntio ipsum A. R. P. N. a N. Ministrum Generalem totius Congregationis nostrae (Provincialem — Definitores — Custodes — Discretum), in cuius (quorum) electione vestrum pars maior consentit. Amen.

Ex loco nostro N. die mensis anni

Fr. N. a N. Sacerdos, Disquisitor et Compromissarius, Cap. ind.

Fr. N. a N. Sacerdos, Disquisitor et Compromissarius, Cap. ind.

(L. ⚔ S.)

Fr. N. a N. Sacerdos, Disquisitor et Compromissarius, Cap. ind.

NOTA. In Litteris testimonialibus electi Discreti, post verba: *pars maior consentit*, adiungitur: *Rogamus igitur Adm. RR. PP., ut eum admittatis in nostro Capitulo provinciali ad omnia legitime celebranda, quae de iure ei competere bene noveritis. Valet.*

CAPUT V.

DE RITU ADMINISTRANDI SACRAMENTA
GRAVITER INFIRMIS, ET DE MODO IUVANDI MORIENTES.

§ I. — De ritu administrandi S. Communionem moribundis.

1678. S. Communio extra Ecclesiam ministratur vel per modum Viatici periculose aegrotantibus, vel ad implendum praeceptum Communionis paschalis, aut etiam ex devotione iis tantum, qui ob infirmitatem aut aliud impedimentum ad Ecclesiam convenire non valent.

1679. Communio pro Viatico ministratur, cum probabile est, quod infirmo periculum vitae immineat, aut saltem quod infirmus graviter aegrotet. Viaticum dari potest non ieiunis; quod si aeger sumpto Viatico aliquot adhuc dies vixerit, et perdurante eodem mortis periculo, iterum communicare desideret, denuo Viaticum ei non ieiuno dari potest, si ieiunus manere nequit, et quidem iteratis vicibus, si eadem adiuncta perdurant.

1680. Si dubitetur, an aegrotus S. Hostiam deglutire possit, et urgeat praeceptum Viatici, experimentum capiatur cum particula non consecrata vel re alia; si saltem partem S. Hostiae deglutire valet, pars ei detur; si prae ariditate oris et faucium difficile deglutit, haec prae aqua etc. madefiant et post sumptionem SS. Eucharistiae aliquid liquidum ei potus detur, ut facilius S. Hostiam deglutiat, vel sacra Hostia aut pars ei in decenti cochleari cum liquido porrigatur.

1681. Si Sacerdos allato iam Sacramento intelligat, aliquid v. g. tussim, vomitum, delirium, Communioni obstare, SS. Eucharistiam super mensam deponere et cum adstantibus adorando paulisper morari poterit, donec obstaculum cesset. Si vero intra breve tempus obstaculum non cessaturum videatur, infirmum monebit et exhortabitur, ut si valet, spiritualiter communicet, deinde ei cum SS. Sacramento benedictionem imperietur, et ad Ecclesiam SS. Eucharistiam reportabit.

1682. Aliis infirmis, non periculose aegrotantibus, potest saepius S. Communio deferri et ministrari, sed ieiunis ante omnem cibum et potum, non secus ac caeteris Fidelibus. Si quis diuturno, non tamen periculoso morbo laborans, usque ad auroram ieiunus manere nequit, tunc ei etiam ante auroram, imo statim post mediam noctem S. Communio ministrari poterit, sed nunquam non ieiuno.

1683. Quando Religioso infirmo deferendum est S. Viaticum resp. S. Communio, aegri cubiculum munda detur diligenter, odoriferisque floribus, si haberi possint, convenienter exornetur; mensa mappa candida et munda contegatur, in eaque ponantur imago Christi Crucifixi inter duo candelabra cum cereis accensis, vasculum cum aqua aut vino ad abluendos Sacerdotis digitos et pro purificatione ab infirmo sumenda, purificatorium ad detergendos Sacerdotis digitos, linteum denique mundum tempore Communionis pectori infirmi imponendum. In promptu sit etiam aqua lustralis cum aspersorio.

1684. Hora competente aliquot campanae ictibus convocantur Religiosi (vide num. 17), qui SS. Sacramen-

tum cum cereis accensis comitentur et umbellam, ubi haberi potest, deferant. Superior, lotis prius manibus, induit superpelliceum et Stolum albi coloris, et accensis duobus cereis in Altari modo solito vadit ad Altare, et extenso in eo Corporali debitis cum genuflectionibus e Pyxide sumit aliquas Particulas et immittit in minorem Pyxidem, illaque, digitis prius purificatis, in Tabernaculo reposita et obserata (Pyxis ipsa semper in Tabernaculo relinquenda est, dum Communio ad infirmos defertur, ne interea in Ecclesia Eucharistia deficiat), hanc suo operculo bene claudit et velo serico albi coloris operit; tum imposito sibi Velo humerali albi coloris et vitta ad pectus ligato ne decidat, Pyxidem extremitatibus Veli humeralis coopertam utraque manu tenens, ad infirmum defert.

1685. In processione ad cubiculum infirmi praecedit Acolythus portans Rituale, et tintinnabulum seu campanulam iugiter pulsans; succedunt Fratres et Patres bini et bini, cereos accensos tenentes; ultimo Sacerdos SS. Sacramentum ante pectus elevatum gestans incedit, intelligibili voce incipiens Psalmum: *Miserere mei Deus* etc., qui a caeteris alternatim recitatur. Si forte via ad infirmum sit longior, possunt addi alii Psalmi et Cantica.

1686. Interea infirmarius aegrotantem Fratrem erigit et genuflexum iuxta lectum sustinet, vel si ob debilitatem surgere nequeat, sedere facit in lecto, si facile fieri possit, linteum mundum eius pectori applicat, et si Sacerdos sit, Stolum albam humeris eius imponit.

1687. Cum processio ad locum pervenerit, sonus campanulae cessat, et Acolythus praecedens ianuam

aperit, genuflectit, et cum eo reliqui etiam genuflectunt ab utraque parte, in medio transitum relinquentes Sacerdoti, quem duo ex senioribus Patribus cum cereis accensis in cubiculum infirmi praecedunt; ingrediuntur deinde, qui Sacerdoti ministrant, et alii quotquot voverint vel potuerint.

1688. Sacerdos cubiculum infirmi ingrediens dicit: *Pax huic domui. R). Et omnibus habitantibus in ea;* tum Sacramentum supposito Corporali extenso super mensam depositum genuflexus adorat, et statim erectus deponit Velum humerale. Mox aqua benedicta aspergit infirmum et cubiculum, dicens (etiam tempore paschali):

Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor; et primum versum Psalmi *Miserere*, cum *Gloria Patri* etc.

Deinde repetitur Antiphona: *Asperges me* etc. Postea conversus ad SS. Sacramentum:

Ÿ. *Adiutorium nostrum in nomine Domini:*

R). *Qui fecit coelum et terram.*

Ÿ. *Domine, exaudi orationem meam:*

R). *Et clamor meus ad te veniat.*

Ÿ. *Dominus vobiscum:*

R). *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, aeternae Deus: et mittere digneris sanctum Angelum tuum de coelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. R). Amen.

1689. His dictis genuflectit, et accedit ad infirmum, brevi adhortatione eum monens, ut secundum piam Religiosorum consuetudinem veniam petat, si forte ex fragilitate humana quempiam verbo vel facto contristaverit aut offenderit, et Fratrum orationi humiliter se commendet; quod cum praestitit, Sacerdos vicissim nomine omnium Fratrum ab eo veniam petit, eumque monet, ut s. professionem more solito renovet.

FORMULA PROFESSIONIS.

Ego Fr. N. voveo et promitto Deo omnipotenti, et B. Mariae Virgini, et B. Francisco, et omnibus Sanctis, et tibi Pater, toto tempore vitae meae servare Regulam Fratrum Minorum, per Dominum Papam Honorium confirmatam, vivendo in obedientia, sine proprio, et in castitate.

1690. Sacerdos dein ad mensam reversus iterum genuflectit; tum dicto ab infirmo ipso, si potest, vel eius nomine a Ministro *Confiteor* etc., Pyxidem discooperit, genuflectit, et cavens ne tergum vertat SS. Sacramento, convertit se ad infirmum et dicit *Misereatur* etc. *Indulgentiam* etc. more solito. Deinde facta iterum genuflexione accipit sinistra Pyxidem et dextera sacram Hostiam, eamque ostendit infirmo dicens de more: *Ecce Agnus Dei* etc., et *Domine, non sum dignus* etc.; tum faciens supra Pyxidem signum Crucis cum Hostia, eam infirmo porrigit sub praescripta forma: *Accipe, frater, Viaticum Corporis Domini nostri Iesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, et perducatur in vitam aeternam. Amen.*, si per modum Viatici: *Corpus Domini* etc., si ex devotione Communio ministratur.

1691. Si mors immineat et periculum sit in mora, omissis precibus praedictis statim Viaticum infirmo praebeatur.

1692. Infirmo communicato, Sacerdos reponit et claudit Pyxidem super Corporale, abluit digitos nihil dicens, et infirmo datur ablutio; tum dicit:

Ÿ. *Dominus vobiscum:*

R). *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Domine sancte, Pater omnipotens, aeternae Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti fratri nostro sacrosanctum Corpus Domini Nostri Iesu Christi Filii tui, tam corpori quam animae prosit ad remedium sempiternum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

R). *Amen.*

1693. Et reassumpto Velo humerali, genuflectit, accipit utraque manu ut antea Pyxidem, facit cum ea e loco suo signum Crucis super infirmum, nihil dicens, et reverenter SS. Sacramentum deferens, ordine quo venerat, revertitur ad Ecclesiam dicendo Psalmum *Laudate Dominum de coelis* etc., quem caeteri alternatim prosequuntur; imo et alios Psalmos et Hymnos, prout tempus feret.

1694. Cum pervenerit ad Ecclesiam, ponit SS. Sacramentum super Altare supposito Corporali, genuflectit et dicit: *Panem de coelo, Dominus vobiscum* etc., cum Oratione: *Deus, qui nobis sub Sacramento* etc. cum longiori conclusione. Deinde annuntiat Indulgentias a Summis Pontificibus concessas SS. Sacramentum

comitantibus ¹. Postea cum SS. Sacramento in Pyxide Velo cooperta faciat signum Crucis super praesentes, nihil dicens; deinde reponat illud in Tabernaculo.

§ II. — *De ritu administrandi
Extremam-Uncionem.*

1695. Extremae-Uncionis Sacramentum periculose aegrotantibus tantum administrandum est, et quidem semel in eadem infirmitate, nisi infirmus convalescit, et iterum in periculum mortis inciderit.

1696. Debet autem hoc Sacramentum infirmis praebere, qui cum ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur; et iis, qui prae senio deficiunt, et in diem videntur morituri etiam sine alia infirmitate.

1697. Administranda est Extrema-Uncio, si fieri possit, eo tempore, cum infirmis adhuc integra mens et ratio viget, ut ad uberiores Sacramenti gratiam percipiendam, ipsi etiam suam fidem ac piam animi voluntatem conferre possint, dum sacro liniuntur Oleo.

1698. Praebeat etiam infirmis, qui sensibus sunt destituti, qui phrenesi aut amentia laborant, dummodo non sit periculum, ut quidquam fieri possit contra reverentiam Sacramenti.

¹ Septem annorum et totidem quadragenarum iis, qui cum lumine, et quinque annorum et totidem quadragenarum iis, qui sine lumine devote comitati sunt, modo orent ad consuetos fines sanctae Ecclesiae. Praedicta Indulgentiarum annuntiatio, si iam sufficienter notae sunt, non singulis vicibus est repetenda.